

Fl. 270

A) Remchingen Jr.

Tab A 2) - 44)

nicht verfügbar
nach RK

2

CENTVRIA
CONCLVSIONVM
EX MATERIA PACTORVM
DESVMPTARVM:

Cuius defensionem, vnà cum quæstionibus Iuris imper-
tinentibus annexis, Diuina aspiran-
te gratia,

EX DECRETO ET AVCTORITATE
*amplissimorum Iuris Antecessorum in inclyta ac
vetustissima Heidelbergensium
Academia,*

Sub patrocinio atq; tutela Clarissimi Consultissimiq; viri
Dn: IVLII PACII I. C. celeberrimi, eiusdemque Acade-
miæ Codicis Professoris ordinarij, Domini &
Præceptoris sui debita obser-
uantia colendi,

PRO CONSEQVENDIS IN VTROQVE
*Iure insignijs ac priuilegijs Doctoralibus,
publicè sustinebit*

FRANCISCVS IVGERDT HAMBVRG. SAXO.
Kal. Febr. hora & loco consuetis.



HEIDELBERGAE,
cIo. Io. LXXXIX.

CENTAVRIA
MAGNIFICIS ET AMPLIS-
SIMIS PRVDENTIA ATQVE
CONSILIO PRAESTANTISSIMIS VIRIS
DN. IOANNI NIEBVR, INCLYTAE
HAMBVRGENSIVM REIPVB. CONSVLIS
DIGNISSIMO.

ET

DN. ANTONIO VVITTERSHEIM-
IC. ILLVSTRIS AC GENEROSI DOMINI
DNI. ADOLPHI, COMITIS IN HOLSTEIN,
SCHAVVENBURG ET STERNEBERG, &C.
CANCELLARIO PRVDENTISSIMO, DOMI-
NIS AC MECOENATIBVS SVIS OBSER-
VANDIS,

PERPETVI STUDII ATQVE OFFICII
CAVSA

HANC SVAM DE PACTIS DISPV-
TATIONEM

Dedicat & consecrat

FRANCISCVS IVGERDT HAMB.

DE PACTIS

THESIS PRIMA.

CONVENTIONIS verbū generale est, comprehendens sub se contractus & pacta.

II.

Contractus; tam iuris ciuilis, quam iuris gentium. Iuris ciuilis : vt stipulationem, literarum obligationem, sponsalitiā largitatem, Emphyteusin & si qui sunt alij.

III.

Iuris gentium: qui aut proprium nomen habent, aut eo vacant, causa tamen non vacant.

IV.

Proprium nomen habent: vt emptio venditio, locatio conductio, mandatum, societas, depositum, commodatum, mutuum, pignus, &c.

V.

Nomine proprio vacant, sed causa non vacant, hæc quatuor contractuum genera: Do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias.

VI.

Ex his contractibus, tam iuris ciuilis quam iuris gentium, tam nominatis quam innominatis, indistinctè pro cuiusque contractus natura iure ciuili oritur actio.

VII.

Pacta: quæ & nomine & causa vacant, sola que conuentionis æquitate subsistunt. Quæ in præsentia discutienda suscepimus.

VIII.

Est igitur pactum, siue pactio, depectio, placitum, pactum conuentum, pactum nudum, pactum compositum,

A ij

(idem enim hæc omnia posse arbitramur) duorum pluriusve in idem placitum consensus.

I X.

Fit que vel ex publica causa, vel priuata. Publica: quando Principes de regno, imperio &c. Duces belli de pace, publicæ utilitatis causa inter se conueniunt & paciscuntur.

X.

Sed quæritur: Pacem faciendo cum hostibus Princeps, an priuatorum damna atque iniurias, ob causam belli acceptas, remittere possit? Et publicæ utilitatis causa posse, verius putamus.

X I.

An autem à Ducibus belli citra Principis aut populi consensum, cuius nomine & auspicijs bellum geritur, pax & induciæ constitui possint? Nequaquam.

X I I.

Priuata: quæ ex priuata causa descendit. Est que vel legitima vel iuris gentium. Legitima est, quæ lege aliqua confirmatur. Vnde est quod dicitur, interdum ex pacto actionem nasci seu tolli.

X I I I.

Actio nascitur ex pacto dotis, si quando dos nuda pactione promissa sit.

X I V.

Adeò, vt pactum, stipulatio vel statutum de dote post alterutrius coniugis mortem lucranda disponens, locum etiam habeat in dote nudo pacto promissa, nec dū soluta.

X V.

Similiter ex pacto donationis iure ciuili datur actio ad rem donatam tradendam, in tantum vt præstando interesse donator non liberetur. Saluo tamen iure competentia.

Nec

XVI.

Nec propterea donatorem euictionis nomine teneri volumus; quod quidam temere asserere ausi sunt.

XVII.

Et quamuis ex nudo pacto usurae non debeantur: tamen usuras vini, olei, frumenti, nec non ceterarum rerum quae mensura constant, nudo pacto promissas, efficaciter peti posse Alexander Imp. voluit.

XVIII.

Nec solum si legitima, verumetiam si supra modum a Iustin. statutum promissae fuerint, petitioni obnoxiae sunt. Id namque admitti specialis ratio sua sit.

XIX.

Sic, si nudo pacto me constituo soluturum id, quod ego vel alius, siue naturali & ciuili, siue praetorio, siue naturali iure tantum debet, firmiter obligor. Vt & si conuenit inter debitorem & creditorem, vt res pignori sit nexa.

XX.

Ipsa iure actio tollitur per pactum, quando certa quadam ratione de lite, membro rupto, furto commisso, & iniuria illata quis paciscitur.

XXI.

His ergo & similibus pactionibus ll. confirmatis, actio vel oritur vel ipsa iure tollitur. Quae tamen non eo minus pacta nuda dicuntur: nam nullum esse pactum quod nudum non est, existimamus: explosa distinctione nudi & vestiti pacti à Dd. excogitata.

XXII.

Porrò conuenire siue pacisci possumus vel expressè, vel tacitè vt Labeo ait.

XXIII.

Expressè: aut inter praesentes, aut absentes. Inter praesentes: tractatu & sermone habito.

XXIV.

Hic illorum se offert opinio, qui idem esse putant, re-
conuenire & tacite conuenire: quam vt erroneam nec
textui consentaneam, e medio tollendam censemus.

XXV.

Inter absentes: vel per Epistolam vel per nuntium.

XXVI.

Tacite: quando consensum nostrum non exponimus,
sed ex praesumpta nobiscum paciscentis voluntate illum col-
ligimus.

XXVII.

Si ergo debitori meo cautionem reddiderim, videtur
inter nos conuenisse ne peterem: profuturaeque ei con-
ventionis exceptionem placuit.

XXVIII.

Non idem dicendum, si debitori pignus reddatur pecu-
nia non soluta: nisi specialiter contrarium actum probetur.

XXIX.

Ad eundem modum, inuecta & illata in urbanum praed-
ium, pro mercede, vel adibus culpa inquilini deterioratis,
locatori tacite obligata censentur. In rusticis praedijs di-
uersum obseruatur: ibi namque fructus, tam industriales
quam naturales, ex fundo non in fundo nati, tacito iure ne-
ctuntur.

XXX.

Vnde illa promanat vsu quotidiana & frequens quaestio:
An studiosorum supellex & libri in Musaeum illati, pro
mercede hospiti tacite sint obligati? Quod fauore non tam
studiosorum, quam studiorum minimè videtur admit-
tendum.

XXXI.

Stipulatio quoque dotis causa interposita, tacitum pa-
ctum

ctum in se continet, (si nuptiæ fuerint secutæ,) nec antenu-
ptias quicquam ex ea stipulatione peti potest.

XXXII.

Ideoque tali facta stipulatione: Decem in anno proxi-
mo dotis nomine dare spondes? quæsitum est, ex quo tem-
pore annus esset numerandus, vtrum ex die stipulationis
interpositæ, an vero ex die quo dos esse potuit? & ex die
nuptiarum annum computandum à Iuliano respon-
sum est.

XXXIII.

Eadem ratione, si conuenisset vt donec vsuræ solueren-
tur, fors non peteretur: & stipulatio pure concepta fuisset:
petenti fortem taciti pacti exceptio obstabit, si debitor v-
suras soluere paratus sit.

XXXIV.

Idem dicendum, etsi nulla pactio expressa de non red-
denda sorte, donec vsuræ præstantur, præcesserit: si modo
in futurum vsuras à debitore acceperit.

XXXV.

Idem quoque dicemus, si per multos annos minores
quàm debebantur vsuræ, sine vitio debitoris, solutæ fuerint.

XXXVI.

Sic: Stipulatus sum à seruo nouandi animo pecuniam
quam mihi Titius debet, postea à Titio eandem pecu-
niam peto: quæritur an Titius exceptione taciti pacti me
summouere poterit? quod sub distinctionis foedere dicen-
dum.

XXXVII.

Creditores quoque hereditarij, si contra emptores here-
ditatis suas actiones mouisse, hique spontanea voluntate
illas suscepisse dicantur, venditor si postea à creditoribus
conueniatur, exceptione tacitæ conuentionis tutus esse
potest.

An

XXXVIII.

An verò inutilis acceptilatio vim taciti pacti habeat, quæstionis est? In quo cum Vlp. & Paul. conueniant: nos quoque illis non assentiri non possumus.

XXXIX.

Pactorum quædam in rem sunt, quædam in personam. In rem sunt, quoties generaliter paciscor ne petatur. In personam, quoties paciscor ne ego petam, vel ne à me petatur.

XL.

Pactum in rem & heredibus paciscentis, & his omnibus quorum obligationem dissolutam esse paciscentis interest, prodest.

XLI.

Ideoque pactum debitoris principalis, fideiussori quoque proficiet. Olim si in rem pactus erat: hodie indistinctè.

XLII.

In tantum, vt exceptio fideiussori semel acquisita, ei inuito, per contrarium pactum rei, rursus auferri non possit.

XLIII.

Et pactum cum venditore initum emptori quoque proderit, licet in personam venditoris conceptum sit, secundum Sabini sententiam.

XLIV.

Pactum verò fideiussoris, nec reo principali, nec confideiussoribus prodest.

XLV.

Sed, si heres ante aditam hereditatem cum creditoribus paciscatur vt minus soluatur, num pactum valebit? Et si secundum rescriptum D. Marci valet, num creditores absentes presentium exemplum sequi cogentur? Et si coguntur, num etiã priuilegiarijs hoc pactum nocebit? Quod magis est. Quate-

X L V I.

Quatenus autē his, qui eiusdem pecuniæ exactiōem in solidum habent, vel eiusdem pecuniæ debitores sunt, vnus pactio alteri noceat, maioris dubitationis est: Proculus nec si vnus ex socijs in rē pactus sit alteri nocere ait.

X L V I I.

Ac proinde vnum nec nouare obligationem posse La-beo putat. Quod & in duobus reis stipulandi obseruandū Paulus quā rectissimè asserit.

X L I I X.

Quod si mihi generaliter hominem debeas: & paciscar ne Stichum petam, nunquid alium hominem petendo rectè agam? Quid ni?

X L I X.

Personale pactum personam paciscentis nō egreditur, sed illam semper comitatur ac respicit.

L.

Pacisci possunt omnes qui consentire: hinc amentes, furiosi, infantes, ebrij, non rectè pacisci dicuntur.

L I.

Mutus quamuis non rectè stipuletur: rectè tamen paciscitur.

L I I.

Filiusfam. quoque quod pactus fuerit, ratum habetur: proficit que ei, patri eiusque hæredi.

L I I I.

Rectè igitur paciscitur, ne legatum conditionale sibi relictum petat, si conditio extiterit filio sui iuris facto. Quamuis in stipulatione conditionali diuersum obtineat.

L I V.

Et filiæfam. pactio de dote non petenda cū sui iuris esse ceperit, valida est.

B

L V.

Cæterum, quemadmodum alteri stipulari non possumus, ita quoque alteri pacisci non licet.

L V I.

Quare seruus hæredi post adituro nominatim pacisci nequit.

L V I I.

Nec si pactus sim, ne à me nevé à Titio petatur: conventionis exceptio Titio proderit. Immò, nec pater filio exceptionem pacti acquirere potest: licet filius patri rectè paciscatur.

L V I I I.

Quid autem si possessor alienæ hæreditatis pactus sit? nunquid hæredi, si euicerit, eiusmodi pactio nocet aut prodest? Nec nocere nec prodesse plerique putant, quod & nos putamus.

L I X.

Per quos verò stipulando acquirimus: per eosdem & paciscendo conditionem nostram meliorem facere possumus.

L X.

De omnibus autem rebus, quæ in commercio & dominio nostro sunt, siue præsentibus, siue absentibus, siue futuris pacisci licitum est.

L X I.

Ideòque si paciscar ne Iudicati, incensarum ædium, depositi, redhibitoria, quanti minoris agam, nevé operis noui nunciationem exsequar, conuentio iure subsistit.

L X I I.

Et licet inter veteres dubitabatur, num paciscendo effici posset, ne cui locum suum dedicare, vel vicino alienare liceret: tamen hodie talis pactio admittitur.

Sed!

L X I I I.

Sed ita demum pacta de re priuata inita suum robur obtinent, si bonis moribus non sint contraria, nec iuris regulis repugnent.

L X I V.

Hinc pactum de futura successione, licet iuramento confirmatum, passim ll. improbatur.

L X V.

Hinc illa resultat quaestio: An filia dote contenta pacto successioni paternae renunciare possit? Sane ius ciuile, tale pactum, licet iuramento confirmatum, respuit: Canones autem propter vim iuramenti eiusmodi conuentionem seruandam putant.

L X V I.

Hinc Falcidia viuo testatore pacto remitti non potest. Hinc pactum, ne filius inofficiosi querela agat, nullius est momenti.

L X V I I.

Hinc nulla conuentione effici potest ne dolus praestetur, ne iniuriarum, ne furti nondum commissi agatur. Hinc Vasallo ne fidem praestet remitti à Domino nequit.

L X V I I I.

Hinc pactum ne maritus in id quod facere potest, sed in solidum condemnetur, ll. reiicitur.

L X I X.

Hinc pactio de quota litis nullius est efficaciae. Hinc pactum de re communi in initum, ne omnino diuisio fiat, nullas vires habet.

L X X.

Hinc pactum inter creditorem & debitorem conuentum, vt onus tributi, pignorati praedij, ad debitorem non ad creditorem spectaret, quantum ad fiscirationem nul-

las vires obtinet.

L X X I.

Et quamvis pacta quæ fiunt inter coniuges de mutua successione si sine liberis decedant, valeant: tamen magis ex communi interpretum sententia, quam ex scripti iuris ratione vires obtinere dicuntur.

L X X I I.

An verò & quatenus transigere vel pacisci liceat de criminibus publicis, multum negotij Dd. exhibet. Nos transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio prohibitum non esse: de reliquis autem publicis criminibus sanguinis poenam non ingerentibus citra falsi accusationem transigere non licere, auctoritate Imp. Dioclet. & Max. decidimus.

L X X I I I.

Nec ea pacta se seruaturum prator pollicetur, quæ dolo malo, vi, metu vé inita sunt.

L X X I V.

Quocirca dubitari potest, num pecuniæ aureæ nomine tempore diuisionis ab vno ex fratribus subtractæ, cuius nec in ipsa diuisione nec in instrumentis de ea interpositis mentio facta sit, actio reliquis fratribus post diuisionem factam aduersus fratrem competat? Quod Modestino visum fuit.

L X X V.

Dolus autem probandus est, non enim præsumitur, cum etiam quævis causa, licet fatua, facile à dolo excuset.

L X X V I.

Pacta solo consensu constant: ideoque sine vlla verborum solennitate nuda conventionione celebrantur.

L X X V I I.

Non tamen eo negamus etiam per interrogationem
& re-

& responsionem fieri posse: ubi mentem potius quam verba intueri oportet. In dubio tamen stipulationem potius quam pactum præsumimus, nisi contrarium specialiter approbetur.

LXXVIII.

Sequitur ut de vi ac potestate pactorum agamus
Quæ vel per se subsistunt, vel contractibus accedunt.

LXXIX.

Quæ per se subsistunt: exceptiones pariunt: Obligationes vi sua nunquam. sive de jure civili sive canonico quæras

LXXX.

Hæ autem exceptiones perpetuæ sunt, nec 30 seu 40 annorum curriculo concluduntur.

LXXXI.

Quæ contractibus accedunt: vel bonæ fidei, vel stricti iuris contractibus accedunt. Bonæ fidei contractibus: vel in continenti, vel ex intervallo.

LXXXII.

Si ex continenti: contractibus insunt, nec solum formant actiones ex contractibus descendentes, sed & novam producant, quamvis hoc dubio non careat.

LXXXIII.

Quare si convenerit in donatione dotis, ut ceteriori die dos redderetur, pactum actionem ex stipulatu ita informat, ut dos intra annum constituto die peti efficaciter possit.

LXXXIV.

Et licet venditor evictionis nomine non nisi repromittere cogatur: si tamen convenit ut venditor fideiussoribus seu pignoribus caueret, ad cautionem implendam actione ex contractu adigi potest.

LXXXV.

Eodem pertinet pactum de retrouendendo, in ipso venditionis contractu, adiectum, cuius vigore emptor retrouendere, quando cunque venditor voluerit, cogitur.

LXXXVI.

Sed an eodem modo ius venditori ex hoc pacto quaesitum, perpetuum sit, nec 30 vel 40 annorum spacio includatur, vt reliquæ exceptiones ex pactis prouenientes, passim apud Dd. disputatum legimus? Et quamuis in summo Imperialis Camerae iudicio multis exemplis & præiudicijs negatiuam confirmatam habeamus: nos tamē, maioris disputationis gratia, in affirmatiuam sententiam descendimus.

LXXXVII.

Idem de iure offerendi & reluendi iudicium esto.

LXXXVIII.

Ex interuallo si fuerint adiecta: aut adiecta dicuntur ad miniculis, aut substantiæ contractus.

LXXXIX.

Si ad miniculis: aut detrahunt, aut adijciunt. Neutro casu in esse creduntur, quamuis ad excipiendum profint.

CX.

Si substantiæ contractus: videndum est, vtrum contractus re perficiatur, an consensu.

XCI.

Si re perficiatur: pactū ex interuallo factum, non valet ad agendum, sed ad excipiendum.

XCII.

Si consensu contractus perficiatur: pactum ex interuallo factum, vel in totum substantiam mutat vel in partem. Si in totum: recessum à priori emptione, nouaque intercessisse videtur.

Si in

XCIII.

Si in partem: reformatus saltem contractus non in sub-
tiliter dicetur. Vtroque igitur casu inesse creditur.

XCIV.

Vndè nec illud ab Vlp. reprobatur, quod Iulianus ait: :
Cum duo heredes emptori extitissent, venditor cum alte-
ro pactus est, vt ab emptione recederetur, valere pactio-
nem & pro parte emptionem dissolui.

XCV.

Quin & nuda conuentione ab emptione & venditione,
locatione conductione, cæterisque similibus obligationi-
bus, re integra, recederelicet.

XCVI.

Contractibus autem strictiuris quando adijciuntur, an
& quatenus tunc insint, maiorè D. C. habet. Et quamuis
non desint qui etiam ex parte actoris, si incontinenti
fiant, in esse autumant: eorum tamen sententiam ob vr-
gentiora probare non possumus.

XCVII.

Denique, naturalis obligationis ex pacto descendens
non minimus est effectus, quod conditionem indebiti, si
ex pacto res debita soluta fuerit, impediatur, in compensa-
tionem veniat & constitui possit.

XCVIII.

Pactum prius per posterius tollitur, non quidem ipso
Iure, sed ope exceptionis.

XCIX.

An pacto poenalis stipulatio subdita, nouatio facta
censetur? Minime.

C.

Postremò. Pactum obscurum vel ambiguum, contra
eum qui legem dicere potuit apertius indistinctè interpre-
tandum, concludimus.

Πάρεγ.

Πάρεργα Legalia, Feudalia & Canonica

I. Bonæ fidei possessor omnes fructus, tam naturales quã industriales, qui quoquo modo à solo separati sunt, facit suos. Cõsumptos lucratur omnes, possessore hæreditatis excepto.

eII. Quandò ad æstimationem officio Iudicis faciendã devenitur, placet opinio Bartol: tempus moræ esse spectandũ, tam in bonæ fidei, quã stricti Iuris contractib.

III. Morã commissã celeri satisfactione purgari posse putamus. Diversum in mora à Vasallo, in petendo investituram, commissã obtinere arbitantes.

IV. In Falcidiã ea tantũ imputãtur, quæ iure hereditario, non quæ iure prælegati pel præceptionis vel quocunque alio modo capiuntur. In Trebellianicam vero hæc omnia ll. auctoritate computanda veniunt.

V. Nec concedimus, rationẽ Falcidiæ ineundam, prout Novel. const. legitima aucta est. Quod plerisq; visũ fuit.

VI. Ut nec illud: Legata & libertate in testamẽto quo filius silẽtio præteritus est, relictas deberi. Quãvis hæc crebriori Dd. calculo recepta dicatur.

VII. Vim vi propellere licet, nec insultatus fugã arripere cogitur, etiã si aufugiẽdo periculũ mortis evitare posset.

VIII. Reus capitaliũ criminũ absens, plenè defẽdi potest.

IX. Fœmina ad successionem Feudi vocata & semel per masculum exclusã, perpetuo exclusã censetur.


X. Feudum propter delictũ Vasalli Domino apertum, mortuo Vasallo ad agnatos proximos revertitur.

XI. Computationem graduũ Canonicam, vt multis erroribus & falsitatibus obnoxiam, ita nulla observatione dignam iudicamus.

XII. Pari modo, prohibitiones quasdã Canonicas in nuptijs cõtrahendis tãquã sine ratione introductas & iuri divino cõtrarias, eiusdẽ auctoritate & cũ ratione reiicimus.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



R I A

I O N V M

A C T O R V M

A R V M:

æstionibus Iuris imper-

tuina aspiran-

A V C T O R I T A T E

fforum in inclyta ac

bergensium

simi Consultissimiq; viri

imi, eiusdemque Acade-

dinarij, Domini &

bita obser-

ndi,

I S I N V T R O Q V E

Doctoralibus,

bit

H A M B V R G . S A X O .

loco consuetis.

R G A E ,

X X X I X .

2

